
Poc... ...ki Stan. J.

Januszkowic Ioannis: Echo e Polonia Romam tendens.

ECHO
E
POLONIA
ROMAM TENDENS,
IN QVA
CENTVM ANAGRAMMATIS,
Super ſalutatione Angelica,
PER
CLARISSIMVM VIRVM IOANNEM
BAPTISTAM AGNENSEM
FORMATIS, &
AB
Excellentiſsimo Viro, M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI,
In Alma Vniuerſitate Cracouienſi, Philoſophiæ Doct:
Collega Minore, Carmine Epigrãmatico, illuſtratis,
Centum itidem Anagrammatis ſuper ſalutatione Elizabeth, quâ ſalutauit,
BEATISSIMAM VIRGINEM
MARIAM,
Ab Illuſtri, & Admodum Rñdo IOANNE IANVSZKOWIC,
Cuſtode, & Officiali Tarnouienſi, concinnatis,
Verſibus ab eodem ſuper hæc Anagrammata additis,
RESPONDETVR.
Anno à Partu Virginis, MilleſimoSexcenteſimoSeptuageſimo,

CRACOVIÆ,
Apud Heredes CHRISTOPHORI SCHEDEL *S.R.M. Typogr:*

IN GENTILITIVM INSIGNE, SERENISSIMÆ PRINCIPIS.



Lechia dum cælum gemitu, dum ſidera planctu,
Faſcibus heu peteret, iam viduata ſuis;
In cælum geminas, viſa eſt miſiſſe ſariſſas
Atquè ipſum precibus, cor penetrâſſe Dei.
Tertia de cælo reſpondit, quando Polonis,
Diuinâ, MICHAEL REX, *bonitate ſtetit.*
Hoc meruêre Tuæ, Princeps Auguſta ſariſſæ;
Nexus in his triplex, vnio cordis erat.

SE-

SERENISSIMÆ PRINCIPI,

GRIZELDI CONSTANTIÆ

in Zamoſcie,

KORYBVTHEÆ

in Wiſniowiec & Lubnie

D V C I S S Æ,

in Tarnow & Iaroſlaw

C O M I T I S S Æ,

Terrarum Ruſsiæ Palatinæ,

SERENISSIMI POLONIÆ R E G I S

P A R E N T I A V G V S T I S S I M Æ

Dominæ Dominæ Clementiſſimæ.

DIuinum in ore humano ſecretum, ex fecundo myſticorum ſenſuum, vaticinantis Elizabethæ ſpiritu in nouam à me cultûs Virginei Hecatomben deductũ, tanquam magno cælorum arcano benedictæ Matri, offero TIBI SERENISSIMA PRINCEPS. Magna in Archangeli vocibus, ſecretioris intelligentiæ vis; ſed in Prophetico quoq; Elizabethæ oraculo non minor. nimirum vtrobiq; loquitur Deus, ipſa altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ, ipſa arcanorum abyſſus. Placuit illi Epithalamium hoc cæleſte, ab Angelo ceptum, ore humano in Domo Zachariæ continuari; vt in altiſsimo Verbi Incarnati myſterio, cæleſtia terrenis, diuina humanis ſociari, miro vtriuſq; naturæ conſenſu, manifeſtũ fieret.

Minima hic litera, ingens pagina; quinimo liber ſeptem ſignaculis ſignatus; necdum tamen plenè, poſt tot ſæcula, poſt tantum ingeniorũ conflictum, humanæ ſapientiæ reſignatus. Licuerit ergo alijs, profundos hîc rimari ſenſus, & admiranda ex occulto ænigmate loqui: mihi vel in ſolis literis, vario ordine diſcuſsis, extrema eorum legere veſtigia ſufficit; cum in ſacris literis, iota vnum, & apex vnus, abſq; myſterio non prætereat. Accidit enimuerò id mihi, tantò lubentiùs, quod hoc tempore, cum ijſdem planè totidemq; vocibus, Tibi SERENISSIMI REGIS NOSTRI, AVGVSTÆ MATRI, exultans Patria occurrat; cum quibus olim, Regis Regum Matri, Elizabetha occurens, vaticinium in hoſpitalitatis affectu concluſit. Vox hæc vna non Sarmatiæ tantùm, ſed Europæ; ſed totius Orbis Chriſtiani eſt; quæ Te inter Auguſtas benedictam Matrem indigitat; idiomate quidem humano, ſed ſpiritu ac ſenſu, origine diuino. Rex quippe, qui vt ex viſceribus Patriæ prodiret, felicitati Polonæ deſtinatum fuerat, ad materna viſcera tua primùm pertinuit: in quibus nihil aliud priùs, quàm viſcera pietatis fuêre; digna vtiq; tanto Principe, cui pietas in Patriam, non virtus tantùm, ſed ipſa etiam natura eſt. Quicquid in illo clementiæ, bonitatis, & in ſumma fortuna miræ cuiuſdam animi dulcedinis; ſed inprimis veræ ſolidæq; pietatis, magno exemplo, & ſolatio publico veneramur; Veneramur ex eo viſcerum tuorum fonte deductum; quæ in vetuſtiſsima SARIORVM domo, tribus vel ideo ſariſsis, non tam transfixa, quàm aperta ſunt; vt tantò magis omnibus paterent; vt ſatiùs non viuere, quàm in vſus publicos, quàm in opera pietatis non effundi, eligerent. Magnũ illud ZAMOSCII Nominis in Te decus; vt non extra Regiũ, ex Batoreis ſanguinem, ita nec infra Maieſtatem; illa IOANNIS ZAMOSCII AVI TVI, admiranda in Te prudentia; illa THOMÆ Parentis celſitudo animi; illud magni Coniugis HIEREMIÆ DVCIS VISNIOVECII Heroicum pectus; ad omnem gloriæ ſplendorem, ad quamcunq; fortunæ eminentiam, in Te ſumma. Sed pietas; ſed mira in res diuinas propenſio, & vidualis conſtantiæ, tota in DEO ſpes, tota ex DEO ſolatij ratio,

hæc

hæc ad meritum illud, quo in fructu Vteri Tui, ad coronam ſeruato, benedici meruiſti. Occultet ſe quantumlibet, maxima illa virtus Tua; quæ non aliam magis purpuram, quàm verecundæ modeſtiæ nouit & amat; iam in argumentum lucis publicæ maximum prodijt, iam eo loci in Filij ſolio conſtitit; vbi non videri difficiliùs illi ſit, quàm non eſſe. Benedictio hæc vnde venerit, Idioma cæleſte ſatis loquitur, cum Te Matrem in eo fructu benedictam oſtendit; quem dexteræ Domini facientis virtutem, digitus ipſe ad coronam monſtrauit. De Matre igitur, inter omnes Benedicta, ad cuius quicquid honorem cedit, in delicijs habere conſueuiſti: admittes quod ſpero, & oro, non illibenter, exiguas haſce, non tam ingenij, quàm deuoti affectûs curas; quas inter ſacra negotia & officia mea, aliò intentus, quamuis ex voto lucis publicæ, ad vnguem expreſsiſſe non potuerit animus; illud ſaltim ex voto conſecutus eſt; quod ſub Auguſtum patrocinium Tuum SERENISSIMA PRINCEPS veniens, illud benedicere & apprecari nunquam deſinat; vt quæ Heroina ſemper, Reges parere digna fuiſti; nunc id iam in SERENISSIMO Filio conſecuta, viuas vnâ cum benedictionis Tuæ fructu, Orbi Polono felix, viuas æternitati perennis verè Auguſta, verè benedicta, Regis, Patriæ, & publicæ felicitatis MATER.

Sereniſsimæ Celſitudinis Veſtræ

Deuotus coram Deo

Exorator.

IOANNES IANVSZKOVIC,

Cuſtos & Officialis Tarnouienſis.

APPLAVSVS
ACROSTICHICVS,

G *Loria floruerat quæ Visniouecia quondam,*
In quæ vna tantum, fulserat illa Domo,
R *Esplendet Patriæ toti, gentiquè Polonæ*
Immortalis honos, perpetuumquè decus.
I *Am nunc, iam Patria est magnum tibi nomen, & inde*
Nidum quòd teneas, Rex venit vnde Tibi.
Z *Elari meliùs cupit almâ pro Patria ecquis*
Illo, viscera quem progenuêre sua.
E *N iam mille tibi plausus, Matriquè feruntur,*
Felicem hanc sortem, quæ tibi parturijt.
L *Ætitiæ præstantis opus carissima Mater*
Suscipit, & per te Lechicus Orbis habet.
D *Vrus, & ingratus, crudelior hostibus ipsis*
Ille sit omnino, qui inuidet ista tibi.
I *Sta celebratur populorum summa voluptas,*
Cum Dominum propriæ, gentis habere licet.
S *Ic fallebaris, reuoces tibi tempora quæquè*
Externus Princeps, quæ tibi damna tulit.
C *Ælitùs hæc oblata tibi nunc Lechia sors est,*
Ampliùs externis, ne tua sceptra feras.
O *Men & inde bonum, de cælis accipe signum,*
Hoc regnante tibi cuncta venire bona.
N *Emo tibi sit nunc infensus, & ampliùs hostis,*
Nemo sit immani, barbarus ense minax.
S *Iste animum, quisquis contraria dicere tentas,*
Rex tibi nunc regnat, quem dedit ipse Deus.
T *Alis enim datus est tibi Rex, dictamine cæli,*
Cum quo lingua, fides, vnaq; terra tibi.
A *Mplius vnum cor restat Tibi, sitq; amor vnus,*
Hæc iuncta vt fuerint, pax tibi semper erit.
N *ôrint externi sine se, regnare Polonos,*
Atq; coronatum gignere posse caput.
T *Vtus erit tibi, nunc accessus ad ostia regni*
Qui modo Rex, simul est & Pater ille tibi.
I *Am nunc, iam Patria hîc lætum cantato celeusma,*
Hic tibi cum regnat, quem tibi iunxit amor.
A *Modo nunc nullum paueas, qui sæuiat in te*
Quosq; fugabit tunc iunctio & vnus amor,

I *nui-*

I *Nuidia hinc procul, interna & dissensio quæuis,*
Quæ sæpè imperijs: vltima fata parat.
E *Cquis erit crudus, validus, tam immanis & hostis,*
Vincere qui Patriæ, corda ligata queat.
R *Egnet nunc felix, feliciter & dominetur,*
Lechia qui nunc Rex, deliciumq; tibi est,
E *St pariter dilecta tibi, quæ Principe tanto*
Lætatur, Regis, Lechiadumq; Parens.
M *Ater quàm felix es, Mater quàmq; secunda,*
Ex te dum Patriæ, prodijt hoc columen.
I *Amq; tuum à cunctis nomen celebrabitur inde,*
Regnantem licuit, quod peperisse tibi.
Æ *Mula Tu summis Princeps queîs Regius olim*
Cum Iagellonico, sanguine sanguis erat.
C *Lara* CORIBVTHI *nam gloria Sanguinis olim,*
Heroûm genitrix maxima semper erat.
O *quantis hi illustrârunt virtutibus orbem,*
Pro Patria, fuso sanguine, proq; Deo.
R*obur, & infracti vis pectoris adfuit inde,*
Quæ vicit forti, barbara corda manu.
I *Nde triumphantes ô Lechia semper habebas,*
Orbis Alexandros Herculeosq; Duces.
B *Elli Dux melior nemo, & felicior illis,*
Martia nemo magis, sæua periclà tulit.
V *Idit & obstupuit varijs in casibus hostis,*
Heroàs summos, Scipiadisq; pares.
T *Vrca, feroxq; Scythes, Suecus, Moscusq; fugati*
Ex acie, super hæc Martia facta stupent.
H *Eerculeum mirantur opus, martiq; Polono,*
Concedunt spolijs, clara trophæa suis.
I *Llorum in bello est tanta experientia belli,*
Vt dum illi desunt, castra, polona vacent.
D *Vdum bellorum dubia est fortuna leuisq;,*
Qui modo victor erit, victus & est subitò.
V *Ictores semper, victos nunquam* KORYBVTHOS,
Testantur calami, totaq; prisca fides.
C *Ynthia sæpe fuit lucens, felixq; Polonis,*
Quæ Corybutheo, stemmate clara nitet.
I *Lli lux pariter clarissima tempore belli,*
Et dulci pacis, tempore summa fuit,
S I *licet istius lucis radios numerare*
Hic primus nobis ipse IAGELLO *nitet.*

V *Os*

V Os quibus illuxit luna hæc, appello, Poloni
Luce hâc, quàm illustris Lechia vestra fuit.
V Erè quàm Patriæ Patris dilexit amore
Gratior inde suis hostibus horribilis.
I Ilius auspicijs quantùm decorata fuisti,
Armis contra hostes, consilioq; domi
S Ed Iagellonicæ postquam Domus alta coronæ,
Regum Sarmatico, desinit esse throno.
N On tibi defecit fraterni Sanguinis ordo,
Cum tenet en fasces, imperijq; decus.
I Am vitâ excessit, viuit tamen ecce Iagello,
Per successorem, progeniemq; suam.
O Mnia quotquot erant Regum fastigia post hæc,
Ex hoc creuerunt, Sanguine nata Lechis?
V Isum scilicet id superis, vt tota vetustæ
Stirpis Maiestas, gloria tota Patrum,
E Ximio rursus MICHAELIS *vertice surgat,*
Sitq; coronati, rursus honoris apex.
C Onsensu miro votorum, quando Poloni
Climatis vna fuit vox, MICHAELIS *amor.*
I N puteo sicco atq; alto sub lege vetusta
Seruatus fuerat, tunc sacer ille Deo
I Gnis, vt in crassam lympham conuersus & illuc
Ignotus cunctis, tunc erat ille locus;
V Oluas perquirens, CORYBVTHI *fulgidus ignis*
Seruatus fuerit quomodo, quoue loco.
I Llo fratre pio regnante & posteritate
Anteaquàm CORYBVTH *Regia sceptra ferat.*
D Etentus fuerat, seruatusq; hactenus ille
Non puteo in sicco, ast splendidiore loco.
V Is scire hic locus ecquis erat, ZAMOSCIVS *est hic*
Vnde suum columen, sæpe habuit Patria.
A Vgustus fuerat locus hic, felixq; Polonis,
Qui nunc est, & erit, iam magè splendidior.
N Ec non visus erat cunctis locus aptior illo
Hæc vbi seruetur, splendida lux Patriæ.
O Mnibus hic tutus fuit, atq; absconditus ignis,
Hostes inde tamen, terruit ille suos.
N Am Lechis Stephanus Rex, hunc seruauerat ignem,
In sponsam Sario, *cum daret ille suam*
D Ilectam Neptem GRIZELDEM, *hinc clarior illâ*
Fit domus, vt luxit Regia Neptis ei.

EX *cu-*

E X *cuius gremio creuit* Zamoscia Proles,
Creuit & hæc tulit, hanc sidera ad vsq; domum.
R *Egibus & Patriæ vnde fauentior extitit vnquam*
Consiliarius, aut Martia bella mouens?
E *Ximius Dux, quem persæpe hostes timuêre*
Qui semper Patriæ tutor ab hoste fuit.
L *Ex rectum cernens processit & vnde tribunal,*
Iustitia à Sariis, *hinc tibi cuncta venit.*
I *Nde tuum Patria est decus; hicq; absconditus ignis,*
Ille fuit, modo qui Regia Sceptra tenet.
C *Vnctis exoptatus hic est, ast ô stupor hunc quod*
Seruârunt ignem, tempora longa nimis.
T *Vtata est* Grizeldis *eum,* Grizeldis *& altra*
Eduxit puteo, vt luceat hîc Patriæ
A *Rdens cara Polonia, nunc ignis tibi venit,*
Comburens hostes, ardeat vtq; tibi.
S *Olue Deo grates, tanto illustrata decore*
Hic tibi nunc Lechia est, & decus, & columen.
E *Ia ergo lætum cuncti cantate celeusma,*
Nunc omnes ciues, iubila magna date.
D *Esuper hæc vobisq; venerunt lumina magna,*
Lætitiæ namq;, hic nuntius ignis adest.
B *Estia quæq; fugit terræ, cum lucidus ignis,*
Fulserit ignis enim his, luxq; timenda venit.
E T *nunc hunc timeant ignem Turcæq; Scythæq;,*
Igne hoc fumabit, barbara terra Getæ.
N *Vnc igitur fugitote vrsiq; lupiq; rapaces,*
Luna minax vobis, damna, necemq; feret.
E N *Luna, atq; ignis* Corybuthi, *vestra fugabit*
Castra, triumphales restituetq; dies.
D *Itior est Piasto Lechia, en modo quàm fuit ante,*
Nunc illi cum Rex, sat pius inuigilat.
I *Am nunc, iam lætare Polonia Principe tanto,*
Clara ex quo modo erit gloria, lausq; tibi.
C *Æli post Dominum tibi nunc Clarissima* Mater
Multùm debemus, sis benedicta Parens.
T V *Viduata ideo mâgis, vt felicior esses,*
Regia nunc natum, sceptra tenere videns.
A *Vgustus Deus in terris qui te benedixit,*
Ditet Te in Cælis, & super astra locet.

MICHAEL
VISNIOVECIVS.

ANAGRAMMA I.
Cui venio, huic ſum Elias.

IAm nunc, iam Patria en cariſſima ſurgito tandem
Hoſtis nulla tibi bella cruenta ferat.
Quæ ſæpe externo cum Principe paſſa fuiſti,
Namq; amor atq; tui languida cura boni
Externi fuerat; ſed nunc caput erige ſurſum,
Nunc tuus ille eſt Rex, omen & vnde tibi.
Nam MICHAEL VISNIOVECIVS, *qui nunc tibi regnat*
HVIC SVM, CVI VENIO, *collige, &* ELIAS *eſt.*
Si ille eſt ELIAS, *ergo tuum zelabit honorem,*
Zelus ei pro te, flammeus enſis erit.

ANAGRAMMA II.
Ocyùs iuua, en hic meliùs.

QVando Deus priſco tulerat de ſanguine Reges,
Sceptra peregrinis, contuleratq; Viris;
Numinis irrati ſignum fatale fuiſſe
Conſtat, & in populis, grandia damna ferens.
Ut magè firmaret Solymeæ Sceptra coronæ,
Externos primùm, ſuſtulit inde Duces.
Sed meritis iterum dum punit cladibus illos
Eripit imperium, mox aliena manus.
Hæc mala Sarmaticum pariter viguère per orbem,
Propter, quæ vix non vltima fata tulit.
O felix hora illa, Deus quàcorda Polona
Jnuiſit, PIASTVM *vt tunc ſibi deligerent.*
Creduntúrq; hæc imperio facta eſſe ſuperno
Nominis vt ſecretum hoc Anagramma docet,
Namq; IVVA *poſtquam Patria* OCYVS *ingeminauit*
Vox venit è cælis, HIC *erit* EN MELIVS

PRÆ-

PRÆLVSIO ANAGRAMMATICA.

MVlta Deus quondam Vatum prædixerat ore,
Quæ Ventura forent, significans Patribus;
A sæclis, genitum nascendum nunc fore dixit
Virgo sit vt Mater, cui Pater ipse Deus.
Huius erat felix ortus, felicior illo
Occasus mundo est, in cruce dum moritur
Dixero felices hos, qui nobis cecinêre
Verbera, quæ passus, probraq; multa nimis.
Ast modo, dum canit Elizabetha, tacete Prophetæ,
Illius hæc ortum, nuntiat atq; cruces.
Quêis Matrem Christi extollit, perpendite verba,
Tot mysteria sunt, literulas quot habet.

Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui.

ANAGRAMMA I.

Sertum Dei ter viuentis, tu es lacus, vbi cuncti bibunt fidenter,

TErribilis Deus est Maiestatisq; stupendæ,
Coram quo Cælum, terraq; stijxq; tremit.
Omnis ei decor est, fons vitæ, lucis abijssus
Fulgenti luce est, ipse corona sibi.

Jllius

Illius ast ego Te castissima dixero SERTVM;
Vnde Deus semper, quo decoretur habet.
Tu LACVS *immensus, velut vnda es limpida, tuq;*
VIVENTIS SERTVM, *terq; quaterq; Dei.*
Ad tantum ergo Lacum FIDENTER *pergite* CVNCTI,
Hic BIBITE, *hic vita est, hic quoq; vestra salus.*

A N A G R A M M A II.

Tu Verbum cibâsti in ventre cunctis, ibi Deus fideles tutentur.

CVi Deus est Pater, in cunctis hic semper abundat,
Omnes hic CIBAT, *ast nemo cibauit eum.*
Vtq; cibaretur, nobis VERBVM, *Caro factum*
Nos satians carne hac, seq; cibare sinens.
O felix Mater, quæ hoc VERBVM IN VENTRE *gerebas*
Vt genitum possis, lacte Cibare tuo.
Ast vbi VERBVM *istud, simul & DEVS, est tibi præstò*
Hic venter Cœlum est, hæc vbi conueniunt.
O miserande exul, qui pulsus eras paradiso
Jussus in exilio, pane frui modico.
En tibi fert panem, & tutamen Virgo Beata
Te in tuto positum, pane cibare volens.
Cum tantum valeas, tunc collige Virgo FIDELES
Sint tuti per te, ne fame nunc pereant.

A N A G R A M M A III.

Tu filia crucis, benè Tibi sit, Deus in Te Verbum, tunc detenturus.

IAm Tibi iam benè sit, nunc Virgo Deum genitura
Deposito quod habes, quid pretiosius est?
Omnipotens Deus illud, & est Verbum Patris in Te,
Huc venit è cœlis, vt redimatur homo.

Sola-

Solari renuit multùm gemebunda Nòëmi
Nec mirandum est, cum sit viduata viro.
In mœrore tuo, cor erit constantius in te,
Stabis dum constans, sub Cruce corde gemens.
Nec mirum, nam sub Cruce FILIA *tunc* CRVCIS *es Tu*
Cum Te hæc parturyt, cuncta pati docuit.
Hoc signo Crucis, est tenturus *Filius orcum*
Tunc pax in mundo, pax super astra quoq;.

ANAGRAMMA IV.

Messias in Te, tunc luditur, Benedictus venter fit, vbi recubuit.

QVis numerare Patrum potis est, voces gemebundas,
Dum quatiunt cælos, ingemitu valido.
Propter mittendum cupientes sidera rumpi
Vt saluaret eos, in tenebris positos.
Iam nunc, iam gaudete Patres, Virgo paritura,
Hunc in ventre gerit, qui statuendus erat.
Lætitia en quanta est Patribus, tunc luditur Eia,
MESSIAS *dum in* TE, *Virgo sacrata venit.*
Quàm es Benedicta Parens, Tuus & VENTER Benedictus
Fit, *Saluator* vbi decubuit *superus.*

ANAGRAMMA V.

I, tunc Deus, in Te beneficus, & dicitur Emanuel tribubus tritus.

N*Vntia læta refert, cum cœlo missus ab alto*
Angelus ad verbum hoc, Virgo pudica pauet.
Angelus ingreditur lætus, turbatur & illa;
Nec læta est, quamuis dulce canatur Aue.
Non timeas Virgo, Deus *est præstabilis* in Te,
ET TRIBVBVS tritus dicitur EMANVEL.

Tunc hominum tractando ſalutem, perge Beata
I benè, fiat ei, qui Tibi dicit Aue,

ANAGRAMMA VI.

Benedic, butyrum edens naſcetur, Tibi is erit Vnctus velut fuit.

QVando Parens Benedicta vocaris ab Elizabetha,
Dicendo Benedic, *illa precatur idem.*
Hanc Benedic *Domina, & nos, es quorum pia Mater,*
Fac vt Te Matrem hic, omnis homo vocitet.
Nonne potens es, nos benedicere? cum Tibi *præſtò*
Naſcetur, *Patribus dictus* Edens Bvtirvm,
Tunc Is erit Christvs, velut *in cœlis* fuit Vnctvs
Maximus in cœlis, hic pius & patiens.
Ergo faueto Parens, Virgo dulciſſima nobis,
Sis Mater nobis, Filius vt Pater eſt.

ANAGRAMMA VII.

Benè Tibi ſit, venter tuus ebuliet radium, inde cunctis fructus.

SOl *radijs totum non ſic illuminat orbem*
Aut noctem tetram, Cynthia pulchra nimis,
Sol etenim latitat, ſub aquoſa nube aliquando
In ſole & luna, quandoq; ſunt maculæ
Nunc tibi nunc homo, iam bene ſit, *cum Virgo Maria,*
Emittet ſolis, iuſtitiæ radium,
Jllius en ſolis, qui non potis eſt maculari,
Quem nubes vlla haud, obtenebrare poteſt.
Non hic ab Antipodis clariſſimus aduenict ſol,
Sed tuus *hunc* vterus *proferet, alma Parens,*
Hoc quis non doleat priuari lumine ſolis
Cum fructus cunctis, *maximus* inde *fluat.*

ANA.

ANAGRAMMA VIII.

En tibi de me dulcis fructus Jesus, nunc te ab interitu tuebitur.

HOspes Virgo, domum quando subit Elizabetha,
Hospitis illa sui, nomina magna stupet.
Vtq́, salutauit, benedicens illa Mariam
Respondet verbis illius, alma Parens,
Elizabeth dicit, fructum eius, eamq́, beatam,
Virgo respondet, voce sonante suâ;
Elizabeth tibi de me, en dulcis fructus IEZVS,
Ex hoc prima tibi, commoda ferre volo.
Tu benedicis me, ille vicissim sit benedictus,
Quem geris intra te, gratia nomen ei.
Cum ex hoc participat fructu, nunc Elizabetha,
Hocq́, Parens fructu, pascere quemq́, cupit.
Hic fructus tuus est homo, teq́, tuebitur *iste,*
Hostibus à cunctis, interituq́; *tuo,*

ANAGRAMMA IX.

I, Deus cubat in te, cur libet necem subire, & intùs fit diuturnus.

VT Petrus è naui, Dominum à se exire peroptat,
Indignum dicens, se sociare Deo.
Virgine sic Matre Elizabeth haud se esse fatetur
Dignam, quare ait, hoc accidit vnde mihi?
Exi à me Domina & Mater, cubat i DEVS in te,
Ille Deus, qui ignis, dicitur esse merus.
Respondet Virgo, nihil Elizabetha timendum est,
Hic qui in me est, ille est ignis amore flagrans.
Qui in me est, si quæris cur? non venit, vt necet vsquam
Elegit diram ferre, sed ille necem.
Nascitur, vt caro per carnem saluetur, & intùs
Fit diuturnus, *& est par similisq́, Patri.*

ANAGRAMMA X.

Tunc viſceribus tuis libamen redditur, nunc tutè iube, eſt fiet.

OFferri ſibi concupijt, libamina quondam,
Orbis terrarum, Conditor atq; Poli.
Muneribus varijs tolluntur ſingula quaq;
Crimina, ſic placitum conſtituiſſe Deo.
Quod ſaluet mundum, nullum libamen *habetur,*
Ad ſaluandum illum, non fuit æquiualens.
Aſt tecum Dominus quando eſt, tu ter Benedicta,
Tunc tibi libamen, *viſceribusq; tuis*
Redditur, *illudq; eſt, poſſit quo culpa aboleri,*
Scire cupis quod ſit, Filius is Patris eſt.
Ergo beata Parens, tanto libamine feta
Nunc iube *&* eſt tutè, fiet *& inde ſalus.*

ANAGRAMMA XI.

Iudicem fers in ventre, vſtus vt libabit in cruce, tuti ſedebunt.

OMne eſt iudicium graue, formidabile cunctis
Judicium quoduis qui reus eſt, fugiat,
Nuncia fert cælo, cæli quando Paranymphus,
Dumq; ſalutiferum, cælitùs inquit Aue.
Audijt hæc poſtquam Virgo, timet, & pauet exnunc,
Iudex in ventre, *hæc cauſa pauoris erit.*
En homo, quam rigidus fiet tibi, quamq; timendus,
Si dilectæ Matri, ille ſeuerius erit.
Quamuis ſtrictus erit iudex, tamen ille Redemptor
Agnus in altari, dum Crucis vſtus erit,
In cruce dum ſteterit libans, *hoc ſtante* ſedebunt
Tuti, *ſpectraq; iam nulla timebit homo.*

ANAGRAMMA XII.

Reinduc Tibi vetus libamen, veternus tentus fit cruci debitus.

Hoc

HOc Tibi Virgo Parens ego, quod cecinêre Prophetæ
Nuncio, gestio dum, teq́; beatifico.
Virgo Beata es, iamq́; futura beatior inde
Cum cernes genitum, morte perire mala.
Tunc TIBI LIBAMEN VETVS, imâ mente reinduc,
Vatibus hinc cedes, codicibusq́; sacris;
Ex his cum disces impleri cuncta necesse
Nonnè Beata es, cum fortiter ista feres.
TENTVS erit Deus, antiquissimus ille dierum
DEBITVS vsq́; Cruci, nostra, fit inde salus.

ANAGRAMMA XIII.

Is dudum fuit liber, & en vinctus erit benè, tunc esuscitabitur.

AVrea libertas illa est, vbi mens sine culpa,
Nullum vbi peccatum, permanet aut habitat.
Omnis qui peccat, peccati seruus habetur
Ergo sit purus, liber & omnis erit.
Purior & quis erit, cæli terræq́; Monarchâ
Qui dudum est, & erit, liber & ille fuit.
Is fuit vt Dominus liber, benè vinctus erit tunc,
Cum massâ in mundo, carnis amictus erit.
Vtq́; satis fiet decretis, tunc erit ille,
Vt fuit inuictus, qui modo vinctus erat.

ANAGRAMMA XIV.

Vt fiet vnctus, virtus debebit induere carnem, vinctus silebit.

QVi regnare cupit, tunc vngi debet hic ante
Vt regnaret Saul, vnctio prima fuit.
Vt stetit in cælis victorem ex hoste futurum
Ex Patre progenitum, protinus vnctus hic est.
Ergo hic fiet vt à Patre summo chrismate inunctus,
Tunc illi quis non, subdere colla velit.

 In

In mundum veniens virtus debebit inuncta
Humanam carnem sumere, *amara pati.*
Sancta caro poteras humilem quæ reddere Christum
Hâc carne indutus, quam mala multa feret.
Totq; ferendo probra, atq; cruces, tamen ille silebit,
Restibus & vinctus, fortiter ista feret.

ANAGRAMMA XV.
In desertum certaturus subibit, licebit, fundet, vnicus veniet.

N*Il terret iustum, semper iustus sibi tutus,*
Tutus & in medijs, hostibus ille manet.
Hostibus in medijs erit, in mundum veniens hic,
Qui cælo missus, belligerare venit.
In mundum veniens, desertum mox petet ille
Desertum *& mundus, quem variare nequit*
Desertum tunc certaturus *cum hoste* subibit,
Vt cadat hic victus, mundus, & ipse sathan,
Contra quem, cunctis modo iam pugnare licebit,
Quos tamen is fundet, *victor & ipse manens.*
Tunc ibi disperso mundo, victoq; sathana
Et mortem vincens, vnicus *en* veniet.

ANAGRAMMA XVI.
Is esuriens, inducetur vt se cibet, nec libebit, fidant tuiturum.

E *Cælo panem geris in Te, Virgo Maria*
Hic venit in mundum, pellat vt inde famem.
Qua validè mundum spoliatum, tunc paradiso
Pressit, panis hic est, omnibus vnde salus.
Verum proh dolor! is *panis, manet* esuriens *tunc*
Desertum subiens vt sit ibi absq; cibo
Per stygias artes dum inducetur cibet vt se
Ne corpus languens sæuiat inq; suum.

Insidi-

Insidias cernens, audire nec ista lubebit
Jamq; sathan victus, mox noua bella ciet.
Ast nihil efficiet, cuncti fidant tuiturum
Stijx cadet atra gemens, ast homo liber erit.

A N A G R A M M A XVII.

Intuemini, fiet desideratus cunctisue est, turbentur bubulci.

P*Artus erat tuus ô Virgo, mirusq; humilisq;,*
Nam locus est stabulum, tunc pariendo Tibi,
Ast cum discipulis tractanda erit vltima cœna,
Tunc manifestè vrbem, Filius ingreditur,
Tunc illi pueri cum plausibus atq; triumphis
Occurrent, dicent, noster Aue Emanuel.
Nunc illum indigitant, nunc clamant currite cuncti,
Aspicite hunc, ille est quem cecinêre Patres.
Venturum in mundum, ille est optatus Patriarchis,
Et fiet cunctis, *in cruce cum fuerit.*
In Cruce dum fuerit, magno terrore bubulci
Turbentur, *nam ab eo, vitaq; morsq; fluet.*

A N A G R A M M A XVIII.

Dic eunti in vrbem, iubilabunt festiuè, sed tunc scitè struetur.

O*Bstupefacta Dei Mater super Elizabethæ*
Verbis; mira quibus vaticinata fuit.
Scire magis cupiens Diuinæ oracula mentis,
Amplius inquit dic, Elizabetha pia.
Tunc hæc, magna quidem refero, sed si placet vltra
Nosse, audi Mater, nam grauiora scies.
Ante diem Paschæ, hic natus tuus ingredietur
Vrbem, *vbi discipulis Pascha nouum faciet.*
Illuc festiuè tunc iubila *maxima* eunti
Fient, *lætaq; hunc excipient facie.*

Excipi-

Excipient, sed tunc scitè *fraus magna* struetur
Vtq; ferat mortem, consilium facient.

ANAGRAMMA XIX.

Venundetur, trabem Crucis sustinebit, vbi vniet dilectus fiet.

M*Vtua connubiis seruantur vincula carnis*
Js mage dilectus, vincula quem ista ligant.
Terribilis, nimiumq; horrendus erat Deus olim
Cuius à faciè, profugiebat homo.
Ast vbi naturam Deitatis, hic vniet vltro
Naturæ humanæ, tunc homo delicium.
Tunc homo dilectus fiet, *quem copula carnis*
Dilectum faciet, complacitumq; Deo.
Tantus amor potis est, tam strictè vincere Christum,
Jncolat vt terram, Rex Dominusq; poli.
Vt venundetur *pretio pretium, eius amor fit*
Jn medios hostes, hunc amor ipse trahit.
Summus amor facit hæc, vt fortiter aggrediatur
Hostes, vtq; crucis, perferat ille trabem.

ANAGRAMMA XX.

Fiet sicut mulus, vendetur, inde centenis ictibus tuberabitur.

R*Egius ad cytharam Psaltes hæc cuiq; vetauit*
Ne fiat mulus, quisquis homo, aut asinus.
Fit mulus quisq; aut asinus, cum non ratione
Sed regitur sensu, mulus vt aut asinus.
Qui natus Virgo tuus est, hic erit quoq; mulus,
Quod vili pretio, mulus vt emptus erit.
Vendetur sicut mulus, *pretioq; minore*
Maius enim longè, mulus habet pretium.
Emptus cum fiet, centenis ictibus inde
Tubera *saua* feret, *quem mare, & astra colunt.*

ANAGRAMMA XXI.

Sudabit velut imbribus cinctus, tentus en refundet, eijcietur.

Seriùs ille dolet, quem facti pænitet vnquam
Post factum qui scit. Num veniæ aptus erit.
Cum tuus hic natus sudabit, vt *vndiq;* cinctus
Imbribus, *vt venient vltima fata sibi.*
Tunc vendetur, & emptus erit, vili satis ære,
Sed qui illum vendet, post gemet haud grauiter,
Heu tanti sceleris dolor, & quid proderit illi?
Cum nec constans hic, sed neq; verus erit.
Namq; licet pretium ille refundet, *quo appretiatus,*
Hæc serò fient, efficientq; nihil.
Proiecto pretio, extunc venditor eijcietur.
Hic verò tentus, *ceu latro raptus erit.*

ANAGRAMMA XXII.

Certaturus inflectet, vbi vendetur vim sustinebit, inde cibus.

Semper opus quoduis orando sumere debet,
Qui cupit vt rectè, perficiatur opus.
Ab Ioue principium quondam omne venire vetustas
Dixit, & hoc faciet, Filius ipse tuus.
Certaturus *enim cum sæuis hostibus, ante*
Flectet, *& orando tendet in astra manus.*
Dum supplexq; orabit, fiet concitium tunc,
Iustus, & innocuus, quo capiatur homo.
Tunc vendetur, *& hinc* vim sustentabit *ab hoste,*
Cum iustus Dominus, vincula dira feret.
Captus & occisus sic Agnus, erit cibus inde,
Vt sit vita bonis, interitusq; malis.

ANAGRAMMA XXIII.

Vbi flectentem inuadent, tunc duriùs verberibus ictus, sitiet.

Non

NOn *sic in bello est audax, inuadit & hostem*
Audacter miles, cumleo dux fuerit;
Vt ruet in cæli Dominum, tunc plebs furiosa
Insidijs Iudæ, discipuli Domini.
Quemq́; vbi flectentem inuadent, tunc duriùs ictus
Excipiet multos, hic & erit patiens.
Verberibus multis tundetur, nec tamen vltra
Pergere cessabit, sic redimendo hominem,
Cuius amore accensus, erit multum sitiens tunc
Eius vt in medio corde, triumphet amor.

ANAGRAMMA XXIV.

Vt tenebitur, videbis ludificatum, is internè vnctus rubescet.

R*Ectores huius mundi, vt possint recreari,*
Inducunt mimos, & fatuos homines;
Quorum illi dictis, multùm gestisq́; facetis
Dum recreantur, sic delicias faciunt.
Heu Patris en sapientia, vt insipientia fiet,
Vt delusa erit hæc, Carnificum in manibus!
Hic tuus est natus Virgo, & Mater Benedicta
Coram peruersis, hic erit insipiens.
Ille tenebitur *vtq́; ab iniquis, inde* videbis
Ludificatum, *cum Regia signa feret.*
Is *magis* internè *fuerit dum cælitùs* vnctus
Rex tamen hic summus, quando rubescet *erit.*

ANAGRAMMA XXV.

Veritas lucens nectetur funibus, bidente, mittetur iudicibus.

O*Derunt homines audire, & dicere verum,*
Verum dicenti, præmia sunt, odia.
Nec mirum, in mundo fieri mendacia tanta,
Cum omnis homo mendax, verus & ipse Deus,

Is verax, lucens *quoq; in hunc mundum, veniet dum*
Inuisus cunctis, atq; odiosus erit.
Unde accusatus, nectetur funibus *arctè,*
Maxillamq; eius, percutient grauiter!
Armis hunc tundent, ferro validoq; bibente,
Ut cuncti contra hunc, toxica sæua vomant.
Sic vinctus, tusus, lassus mittetur iniquis
Iudicibus, *per quos, in cruce fixus erit.*

ANAGRAMMA XXVI.

Fluctuabitur vrbs, vt insidientur ei, & cum videbis, nec tentes.

AFfectum Patris, & Matris, qui dicere possit
Nemo est vt natos, & foueant, & ament.
Filius vt mæsti Patris Absolon perit, ex tunc
Dauid concupit vt, commoriatur ei.
Nec scelere eius, nec tanta impietate mouetur,
Fecit quæ Absolon, non videt illa Pater.
Hic Patris est amor in natum, Matris quoq; & ille est,
Queis natus sæpe est, vitaq;, morsq; simul.
At tu quid facies, Christi Castissima Mater
Dum rapiet natum, turba scelesta tuum,
Nec tentes dilectum abduci, & ab his reuocari,
Affectus tuus, hinc atq; patebit amor,
Et licet vrbs feruescet, tunc vt ei insidientur
Tu gaude Mater, nam venit inde salus.

ANAGRAMMA XXVII.

Ecce vt nimbus validus, irruent furibundi, ciet testes, & ibunt.

TErribiles quoties nebulæ glomerantur in altis
Nimbus vel grando, tunc metuenda nimis
Desuper hæc non sic currunt, cursu vehementi,
Vt terræ noceant, illius atq; satis.

Vt plebs cruda, nimisq́; nociuo, plena veneno
Jrruet, vt sanctum vinciat, & rapiat.
Tunc ecce vt nimbus validus, venient furibundi,
Jn Dominum sæuas, inijcientq́; manus.
Cum steteritq́; in iudicio, testes ciet *ille*
Vnde illum Judex, morte reum faciat.
Et multi ibunt *à queis falsa illi obijcientur,*
Vt falsis dictis, iudicium moueant.

ANAGRAMMA XXVIII.

Lucernis nitentibus, & sudibus educetur, i fiet, tum necabitur.

V*T venatores capiant animalia quæq́;,*
Ante feras ponunt retia, tum vigiles.
Ast tuus ô Virgo ferus est non, ille sed agnus
Qui cælo venit, vt mundo humilis fieret
Hunc Agnum capient venatores, vt iniqui
Non Agnum veniunt, sed religare lupum.
Cum gladijsq́; lucernis *atq́;* nitentibus *hastis*
Et *duris* sudibus, *ferrea tota cochors.*
Educetur tunc ab iniquis. vt latro tentus
Virgo tuus natus, proh dolor heu quid ages,
I *tunc, vt videas finem,* fiet *quid & vltra*
Quæq́; tuus natus, tunc patietur ab his;
Quos adamauit, ab his crux, tumq́; necabitur *ille,*
Jn quo nos omnes, viuimus & morimur.

ANAGRAMMA XXIX.

Mitis tendet, at crudelibus vincietur funibus, nec se tuebitur.

S*Tultum est contra exarmatum armis belligerare*
Jnfirmus vinci, quisq́; potest facile.
Non infirmus erit veniens, sed mitis Iesus,
Mitior hoc toto, nullus in orbe fuit.

O stul-

O ſtultos homines, hi cum armis, mitis at ille
Tendet, *& attamen his peſſima progenies*
Non mulctetur, at *hunc* crudelibus *atterit arctè*
Funibus, *in quibus hic* vinctus, *vt vnctus* erit.
Dum patiens hic erit, nec ſeq; tuebitur vnquam
Sæuiet illorum, tunc mage ſæuitia.

ANAGRAMMA XXX.

Derelictus fiet à cunctis, verberibus tundent eum, ibi tu intus.

CAſus & occaſus verum demonſtrat amicum,
Qui timet occaſum, falſus amicus erit.
Occaſus falſos Iob nonne probauit amicos,
Cum morbo affectus, linquitur ipſe miſer
Hic dolor, anxietasq; animi eſt hæc maxima cuiq;,
Cùm ſibi deſerto, *nullus amicus adeſt.*
Hæc ô Virgo tuo nato euenient aliquando,
Cum detentus erit, Carnificum in manibus.
Cum ſpoliatus erit, fiet *quoq; fabula cunctis,*
Eius diſcipuli, cum fugient ab eo.
Illum verberibus tundent *illisq; grauabunt,*
Pæna quâ careat, non erit vlla mali.
Tunc ibi Tu *Mater Virgo cruciaberis* intus,
Talta cum cernes, ſcandala tunc fieri.

ANAGRAMMA XXXI.

Fidelibus ſecedentibus, tunc inter iumenta ruiturus, vt cibet.

O Miranda tui Virgo, patientia nati,
Vindictam ſpirat, qui innocuè patitur.
Filius aſt tuus, en patiens erit, vt cibet *omnes*
Sanguine diffuſo, vulneribusq; ſuis.
Et quæ illi vtilitas, pretioſo in ſanguine fiet
Quando tantus amor penditur, vt nihilum.

 Vt

Ut prendetur ab iniustis super omnia iustus,
Discedent omnes, & fugient ab eo.
Secedentibus *hincq́;* fidelibus, *hic tuus ex hinc*
In sævis manibus, Filius ipse manet.
Sic manet, ac inter iumenta *ferocia quæq́;*
Tunc ruiturus, *vbi quis decor, aut honor est?*

ANAGRAMMA. XXXII.

Circuibit iudices, ludibria ferens, vstum tenus, tutè tenebunt.

Terribilis iudex, à quo appellatio non fit,
Melior est à quo, cuiq́; mouere licet,
Cum tuus hic fuerit natus, Virgo vt latro tentus
Iudicij varios, circuitus faciet;
Hinc venient, tendetq́; aliò, vt grauatus ab vno,
Decretum latum, vt iustius inueniat.
Horum in conspectu, queîs ludibrijs *oneratur,*
Nec turbatur ad hæc, suauiter illa ferens.
Nec tamen his fient contenti, homines scelerati,
Ast vstum *plagis, vsq́;* tenus *quatient.*
Illumq́; innocuum tutè, *cautèq́;* tenebunt
Nec mittent, donec mortis in ore cadat.

ANAGRAMMA XXXIII.

Deficientibusue testibus, nec tunc liberatur, it mundetur ius.

Vltima iudicio in quocunq́; probatio, testes,
Vinci quisq́; reus, non aliter poterit.
Nec quales quales hic testes suscipiuntur,
Sed benè qui valeant, sintq́; bonæ fidei.
Et testes, & quæq́; probatio, deficiet tunc
Cum tuus hic natus, iudicium omne feret.
Inducentur vbi namq́; illi ad testificandum
Vt falsi poterunt, hicq́; probare nihil.

Defici-

Deficientibus *hic iam* testibus, *hinc ab iniquis*
Nec tunc liber erit, *sponte sed* itq; *ad ea.*
Illorum quæ iuris erunt, mundetur *vt illud*
Ius, *quod contra omne est, fasq; decusq; datum.*

ANAGRAMMA XXXIV.

Lucente facie tundetur, & intinctum rubris vestibus videbis.

INgratus fit, quicunq; in solem expuit vnquam
Namq; à sole placet, cuncta venire bona.
Lucidius quid sole vnquam? an non vultus Iesu,
Sanabat qui omnes, exhilarando pios.
Hac facie, *tu Virgo Parens* lucente videbis
Ille vt tundetur, *qui super astra potens.*
Nec tantum faciem, sed corpus sanguine tinctum
Vestibus in rubris, *mæsta videbis ibi.*

ANAGRAMMA XXXV.

Dudum fuit vnctus, & en erit cinctus bibulis, i sentiet verbera.

PRæceptum olim erat, vt nemo ausit tangere Christum
Christus enim Domini est, quisquis inunctus erit.
Quis magis vnctus, quam Saluator noster Iesus
Vnctus ab æterno, dum Patre natus erat.
Gignitur ex Patre, fit similisq; suo Genitori
Omnipotens Pater, & Filius Omnipotens,
Proh dolor! is qui dudum vnctus fuit *omnipotensq;*
Cinctus & en erit *hic, proh dolor* à bibulis.
A tantis pressus bibulis, hæc vnica sors est
Illi cum tu adstas, Virgo simulq; Parens.
Ergo iam tentus, tu i Mater verbera *multa*
Sentiet, *& toto corpore cæsus erit.*

ANAGRAMMA XXXVI.

Fictè tunicâ induetur, sistendus tribulibus, & cient eum vrbe.

QVi flores vario vestit, pulchroq́; colore
Donat vernantes arboribusq́; comas.
Qui cælum lunâ, phæboq́; ornauit & astris,
In mundum veniens, hic spoliatus erit.
Hicq́; à iudicibus fictè tunica inq; duetur
Non decorent, sed in hac, dedecorent vt eum.
In qua cum sistendus, eritq́; tribulibus illis
Oblatus, quàm tunc, discruciabitur hic!
Tunc sic vestitum, atq́; illusum, morte necandum
Clamabunt, & eum protinus vrbe cient

ANAGRAMMA XXXVII.

Vbi emendatus fuerit vi, cernendus sistetur, tunc tibi lucebit.

OMnia qui fecit verbo, cælum, mare, terram,
Cum Patre ab æterno, Filius ille fuit.
Quæq́; Trias fecit, non est qui corrigat vnquam
Hæc valde fuerunt omnia namq́; bona.
Virgo tuum natum, sed dextera corrigit atrox,
Dum est emendatus, iudicis arbitrio.
Funibus, & virgis cæsus, correctio tanta est
Huius, qui mundum, condidit atq́; regit.
Isq; vbi vi emendatus erit cernendus ab illis
Sistetur, per quos sanguine tinctus erit.
Judicij facies tristissima, tunc erit illi
Vel minimum crimen, quæ immaculare nequit.

ANAGRAMMA XXXVIII.

Fiet cinctus, & dum vulnerabitur bidentibus, veriùs nitescet.

MEllificæ non sic volitant apiaria circum
Conuocat eductas, dum sua mater apes.
Carniuori non sic circumq́; cadauera corui,
Agmina sæua ferunt, vt rapiendo vorent,

Vt-

Ut tuus hic fiet, *tum filius undique* cinctus
Milite crudo, quo nemo seuerior est.
Hinc tamen, haud nimium doleas Virgo Benedicta,
Nam ex hoc conflictu, gloria fiet ei.
Quando etenim lorisque, flagrisque, bidentibus *ille*
Quam quis ferre potest, vulnera *tanta* feret.
Ut sol splendebunt hæc, veriùs *isque* nitescet,
Præcellet solem, vincet & omne iubar.

ANAGRAMMA XXXIX.

Terebrabitur vultus eius, & cunctis videntibus, finem dicent.

O *Sæuum durumque hominis cor, & ipso adamante*
Duriùs, heu nihil est, quod sit ei simile.
Corpore conscissò, vultus terebrabitur eius
Plagis, ut terebra est, sæuitia hæc hominis
Non fuit, aut erit, aut potis est, aliquando fuisse,
Tanta videret qui, tunc tibi quæ euenient.
Filius hæc, & inaudita, atque libens patietur,
Aspiciente, Patre; & Te Genitrice suà.
Hisque stupentibus hoc cunctisq; videntibus *astris,*
Induratum cor, sæuaque mens hominum.
Tunc satiabitur, ut morietur sanguine fuso
Tunc finem dicent, *atque celeusma canent.*

ANAGRAMMA XXXX.

Cædetur fustibus, vulnerabitur iuncis, decumbet nitente siti.

I*Nter quæque extrema tenet medium pia virtus*
Quod medium excedit, protinus est vitium,
Si in medio Virtus, medio tutissimus ibit,
Quisquis erit iudex, sin minus est vitium.
O quantum excessum, patietur Virgo Maria.
Filius ille tuus, deliciæque Patris.

 Fusti-

Fustibus *vt latro, furq́;, in toto corpore* cæsus
Fiet, *quis precor hæc, pendere mente valet?*
Vt loris sectus, sic iuncis vulnera prendet,
Tunc caput & corpus, sanguine cuncta madent.
Hæc vbi perficient, decumbet, *& in cruce fessus*
Innitente, siti *dextera summa Patris,*
Cunctorum heu Domino, in cruce quales deliciæ tunc,
Cum qui omnes pascit, plectitur ille siti.

ANAGRAMMA XXXXI.

En iudices triticum de luce, sentibus & funibus etriturabunt.

N*Il nocet ipsa fames, vbi sunt satis horrea plena,*
Frumento, quod alit quoq́; hominem vegetat.
Frumentum electorum est, quem geris, o Benedicta,
Hic venit é cælo, panis vt inde homini.
Oppressosq́; fame & laguenti suppeditetur
Quo possit semper, viuere quisq́; Deo.
Verum proh dolor? vtq́; etriturabitur *hocce*
Frumentum *cæli, quod caret & paleis.*
Trituræ instrumenta eius crux, verbera, claui,
His cæli panis, quam benè conteritur.
Carnifices etriturabunt sentibus *illum,*
Funibus, *atq́; flagris, indeq́; suauis erit.*

ANAGRAMMA XXXXII.

Sicut asinus cædetur, funibus vincietur, rubebit, litet, dement.

I*Gnauum dicunt asinum esse, flagris ideoq́;*
Est opus, vt cæptum sic mage currat iter.
Est asinus velox, si plagis currat adactus
Ast ignauus, si verbera non videat.
Non asinus Virgo, ceruorum ast hinnulus iste est
Quem geris, at plagas, sentiet ille tamen

Cædetur, ficutq; afinus *nimis hic ferietur,*
Vt velox hominis fit, citiorq; falus.
Funibus *vt latro* vinctus erit, *patietur & vltro*
Se finet offerri, iudicis in facie.
Hos quot habebit, in horum afpectu fæpe rubebit,
Blafphema aduertens, fcandala tot fieri.
Queis preffus grauiter, tunc demum audacior ibit,
Jbit fed litet *vt, fortiter ifta feret.*

ANAGRAMMA XXXXIII.

Vt abdicetur funditùs, vincientes, multis verberibus, cient te.

I*Vſtitia eſt dilecta bonis, odioſa malignis,*
Contra quam ſemper, belligerare ſolent.
Cum iuſtus tuus aduenies ſuper infima terræ,
Jſrael omnis ei, tunc inimicus erit.
Audiet & cum ab eo cæleſtia, plena ſalutis
Verba, quibus cunctum conuocet vt populum.
Sudabit tunc, funditús *auellatur vt inde,*
Stringentes illum, verberibus nimijs
Cadent, de medioq; ſui illum tollere ſurſum
Audebunt, vt ſic heũ miſerè pereat.
Vt ſis ſpectatrix cunctorum, tuncq; cient te
Quam fortunam, non inuideas homini.

ANAGRAMMA XXXXIV.

Multifariè tundetur tuberibus, & ſentibus cinctus, ne iudice.

Q*Vantùm quis peccat, tantum plagarum & habebit,*
Qui minùs offendit, cæditur ille minùs.
Quisq; potens patietur, & hic tormenta potenter
Culpaq; ſi grauis eſt, pœna grauis quoq; erit.
Hæc igitur pro peccatis, iniuria cuiq;
Non eſt vlla pati, magna ſed innocuo.

Quanta iniuria tunc cælo, tunc & tibi fiet,
Quando tuus natus, ceu latro cæsus erit.
Tuberibus tundetur *adhuc*, & ſentibus arctis
A cunctis grauiter, ſanguine & vſq; fluens
Vulneribus multis, corpus totum afficietur,
Sentibus vt Cæſar, cinctus *& in capite*
Abſq; modo cædetur; ſic ne iudice *quouis*
Eſſe homo noſcatur, vermis & vmbra hominis.

ANAGRAMMA XXXXV.

Is à iudicibus crudis tenturus, fel bibet, te munient, tunc vtere.

M*Os fuit olim iudicibus nocte in tenebroſa*
Ne faueant cuiquam, dicere iudicia
Namq; hoc iudicium rectum, fauor eſt vbi nullus,
Seruiturq; ipſi, nonniſi iuſtitiæ.
Judicis heu quis non fugiat crudele tribunal,
Cui procul eſt pietas, faſq; decuſq; procul.
Quis iudex unquam fuit, eſtq; ſæuerior illis?
Judicio quorum, traditus eſt Dominus.
Hos tamen haud fugit is, Victor tenturus *Auernum*
Factus iudicibus, *concilioq; reus.*
Hicq; vbi ſiſtitur obiectis vt felle cibatur,
Verbera verbaq;, tunc vt mare felq; bibet.
Tunc dolor, atq; tuos Virgo tremor, occupat artus
Qui cruciant ſacrum, cor animumq; tibi.
Aſt tu Virgo Parenſq; Dei, tunc cum hæc peragentur
Miſſo de cælis, vtere *conſilio.*

ANAGRAMMA XXXXVI.

Silentium nutu ſeruabit, inter iudices rubebit, tunc defectus.

P*Auca loqui, permulta audire eſt ſæpe decorum*
Plurima qui loquitur, quàm nocet ille ſibi,

Ne verbum Patris officiat sibi multa loquendo,
Eloquio tollens, crimina falsa suo.
Dum falsa obijcient huic, seruabitq; loquellam,
Declarans nutu, *se nihil esse reum.*
Dumq; in iudicio diuina fronte rubebit
Innocuum roseus, proferet ipse rubor.
Tunc in iudicijs defectus, *in hocq; patebit*
Cum damnabitur hic, qui fuit innocuus.

ANAGRAMMA XXXXVII.

I, cuncti sedebunt, & vir iustus necabitur, & fiet liber mundus.

CAusa grauis quæq; indiget assessoribus æquis
Quos sua cuiq; homini, reddere iura decet.
Vt Dominus, sæuum processerit ante tribunal
Hoc ad iudicium, confluet omne nefas.
Tunc Iudex, cunctiq; *senes in sede* sedebunt,
Tunc i, *o Mater, multa videbis ibi*
Quæq; nefanda, vbi iustus *&* *ante* necabitur *ore*
Viperea lingua, qua in cruce fixus erit.
Hæc fient vbi tunc, liber fiet quoq; mundus,
Quem Dominus cæli, morte sua redimet.

ANAGRAMMA XXXXVIII.

Vbi venient bibaces, iustus stricte recludetur, tum definiunt.

QVemq; calix plenus vino, fortem atq; disertum,
Efficit, audeat vt Martis & artis opus.
Nullus sic audax, vt suescunt esse bibaces,
Ebrius ad quæuis, pessima facta celer.
Vt capiant, teneantq; tuum Natum, Benedicta
Audaces statuent, hoc opus, vt peragant.
Hincq; recludetur iustus strictè *in tenebrosis*
Antris, faciem iudicis, inde petat.

 Hic

Hic vbi disceptant, tandem sententia fertur
Vt saluetur gens, vnus homo pereat.

ANAGRAMMA XXXXIX.

Decretum necis sustinebit libenter, futurus vindicta; tu iubè.

I*Vdice ab iniusto, cuiq; appellare licebit*
Cum grauis est iudex, iudicat & grauiter.
Quis grauior Iudex, & erit crudelior illis
Judicibus, per quos, Virgo Beata tuus
Filius iniustè damnabitur, attamen ille
Non appellabit, iudicium omne ferens.
Decretum necis *ipse* feret, *mortemq;* libenter
Totq; inter pœnas, non erit impatiens.
Omnibus hinc vindicta *grauis vindexq; futurus,*
Eius qui mortis, non fuerint memores.
Illius vt vita, atq; salus, nobis fuerit mors
Eius tuq; iube, *vt sæpe memor sit homo.*

ANAGRAMMA L.

Dum reus necis fit, denunciabitur, iubebit, nec resistet vi, vt tu.

Q*Vemq; reum capitis, secretò non licet vnquam*
Puniri, eius mors omnibus, vt pateat.
Talia puniri, vt grauiter mala nouerit omnis
Terreat vtq; magis, publica pœna malos.
Dumq; fit ille reus necis, *in quem nulla venire*
Pœna potest, cum eius vita sit absq; nota:
Tuncq; palàm & clarè, vt latro proclamabitur ille,
Vt norint omnes, quod reus est capitis.
Quis non se hoc decreto, diceret esse grauatum,
Hæc audire tamen mœsta Iubebit *ei.*
Nulla viq; resistet *tunc, cum possit* vt & tu
Quosuis peruersos, compatiendo feras.

ANA-

ANAGRAMMA LI.

In tenebris ſedebunt furibundi, & ſic luceſcet vita virtutum.

ODerunt homines lucem, quorum mala facta
Publica ſunt mundo, mundus & inde malus.
Et quod peius erit facinus, vel eratq; aliquando
Hoc, quo omnis grauiter, Proditor vſtus erit.
Jllud erit ſcelus obſcœnum facinuſq; nefandum,
Cum Domino cœli, peſſima quæq; dabunt.
In *nocte, &* tenebriſq; ſedebunt *tunc* furibundi,
Quando dolorum vir, perferet omne nefas.
O quantum ſibi tunc oberit nimis, Iſrael omnis
Cum lucem amittent; in tenebris, & erunt.
Sic magè luceſcet *virtutum vita, Redemptor*
Tunc redimens hominem, ne in tenebris ſedeat,

ANAGRAMMA LII.

E tribunali eductus, ferens crucem ibit. intuentibus it, vt Deus.

MVnera non ſic cuiq; ſolent grata eſſe ab amico.
Vnus quèis alium, conciliare ſolet.
Vt iucunda tuo Nato, tunc vulnera quæuis
Fient. à prauis quæ feret, vt nocuus.
Portio iucunda hæc erit, aſt mage dulcior iſthæc
Crux, quâ oppreſſus tunc, atq; grauatus erit.
Hæc crux ſuauis & huic erit acceptabile munus,
Per quam exaltatus, tunc homo liber erit.
Hancq; crucem *ille* ferens eductus *ab impietate*
Atq; tribunali, *lætus &* ibit *ouans,*
Cumq; fidem excedent, vt ferre homo talia poſſit
Inde videntibus *hic ſenſus,* vt en Deus it.

ANAGRAMMA LIII.

Diſſentient ſecum ſubunituri, vt iudicabitur, fert benè cultè.

IN ſpinis roſa ceu iuſtus, ſic inter iniquos,
Quos iuſtus pungit, quàm magè ſpina roſam
Contra illum, dum bella mouent inter ſe inimici
Conueniunt ſemper, iuſtus vt intereat.
Cum Pilatus & Herodes fient inimici,
Secum certantes, magnâ inimicitiâ.
Tunc cum ad iudicium, veniet Natus tuus, illi
Vnum ſpirabunt, eius ad interitum.
Tunc fient & amici, qui fuerant inimici
Vt Ieſum poſſint, tollere morte crucis.
Ex his iudicijs, cum multa nimis patietur
Cuncta benè & cultè fert, & erit patiens.

ANAGRAMMA LIV.

Vi eductus ſubticebit, & vnctus inter infideles numerabitur.

CVm tacet inculpatus, conſentire videtur;
Hæc præſumptio, mox indicat eſſe reum.
Eductus tuus, à conſenſu iudiciorum,
Verberibus preſſus, vi quoq́; carnificum
Subticet, atq́; tacens erit, hincq́; probabitur & ſons,
Hinc & in obiectis eſſe reus capitis.
Tunc pugnis, plagisq́; rubens flagrat velut vnctus
Oſtendetur Rex, & decorabitur his.
Sicq́; coronatus numerabitur, inter iniquos;
Jn cruce, queîs pendens, annumeratus erit.

ANAGRAMMA LV.

Calumnijs ceu ſentibus findetur, tuberibus tundetur, i, te ciet.

NOn tam verbera ſunt homini, quam verba nociua
Jllis innocuus, quando grauatur homo.
Verbera ſanantur, cum apponitur his medicina
Vt verbis proſit, nulla medela datur.

Quisq́;

Quisq́ grauis fit, eritq́ tuo nato cruciatus
Verba scelesta, tamen sunt grauiora magis.
Quêis findetur *ab his, vt crudis* sentibus *ille*
Qui instabunt in eum, fallaq; multa voment.
Hic dum tuberibus *verbis* tundetur *& vltra*
Tunc i, te ciet, *vt compatiaris ei.*

ANAGRAMMA LVI.

Acuerunt dentes bubuli, vt criminentur, & iustus sibi defecit

N*Vnc homini Deus est homo, nunc aiunt lupus idem,*
Qui modo nunc suauis, nuncq́ rapax lupus est.
Dulcis erat, suauisq́ tuus natus, Benedicta
Promissus nobis, à Patre dum fuerat.
O quàm dulci sono cantu, è cælo Patriarchæ
Ducere concupiunt, hunc & adesse sibi.
Ast Deus, vt factus nobis homo, tunc lupus ecce;
Illi fiet homo, sæuitia est, quæ hominum?
Huc veniens, in eum dentes acuêre bubuli
Vitam eius falsò, vt crimine commaculent.
O amor, o homo, quis pro te vnquam talia fecit?
Aut fecisse potest, tot tolerando cruces.
Ne tibi deficiat, sibi *tunc* defecit, vt *is, qui est*
Iustus, *vt iniustus, morte crucis pereat.*

ANAGRAMMA LVII.

Cæsus in tenebris ducetur, & fiet tribunal, tu vinctum videbis.

L*Vx semper tenebras fugit, & noctem tenebrarum*
Lux vbi resplendet, diffugiunt tenebræ.
Quis magè lucebit mundo, quàm Filius Alti,
Is, quo tu Virgo, nunc grauidata manes.
Hæc lux capta erit, & detenta in carcere tetro,
Non fulgebit, sed verbera multa feret.

In tenebris *nimium* cæſus, ducetur *in altum*,
Tunc venient teſtes, atq; tribunal erit.
Et fiet tunc ludibrio improperantibus illi,
Judicibus falſa, hæc cuncta feret patiens.
Hæc grauiter dum paſſus erit modo, tuq; videbis
Vinctum, *tunc mente, & corpore triſtis eris.*

ANAGRAMMA LVIII.

Ceu firmus ſtabit, inter videntes ſe, tunc debebit vultur vinci.

F*Ortiter infractoq; animo hoſti occurrere pulchrum eſt,*
Hic ſæpè infamis quisquis ab hoſte fugit.
Jn vinclis cum natus erit tuus, ô Benedicta,
Hic firmus ſtabit, ceu *Patriæ columen,*
Jllius omnes geſta viderunt fortia quæq;,
Dum inter cernentes, *cuncta feret patiens,*
Eius erit pugna hæc fortis, probra fortiter illa
Ferre magis, quantò plus cruciabitur hic
Tunc debebit, *vt hæc conſtanti animo patietur*
Jmmanis vinci, vultur *in orbe ſathan.*

ANAGRAMMA LIX.

Carcer eius infimus, vt ſedes erit, vbi tunc tundent vti lubebit.

I*Saias vidit Dominum, alta in ſede ſedentem,*
Maieſtate eius, plenaq; terra fuit
Adſtabatq; illi millenus tunc famulatus,
Cantando ſanctus, voce ſonante ſuâ.
Nil mirum Iſaias vidit, cum nil magè ſeruit
Æternò, quàm lux, ingenitoq; Deo.
Sed tu Virgo Parens, magè tunc miranda videbis
Cum hic homo, qui Deus eſt, vt latro captus erit.
Infimus eius erit carcer, *velut intima ſedes*
Maieſtas, non lux illius, aſt tenebræ.

Jn tenebris erit, vt cæli quêis lux odiosa est
Nocturna in tenebris, perficiant opera.
Hunc vbi tunc tundent *crudeliter* vtq; lubebit
Ex hac luce fluent, sanguinei radij.

ANAGRAMMA LX.

Vt maleficus dicetur, subditus verberibus vincet, & tinnient.

NEmo damnatur, conuictus sit nisi iure,
Condemnare reum, lex aliter prohibet.
Sed quàm peruersæ, mundi huius iustitiæ sunt,
Quas iustus iudex, iudicat ipse Deus.
Heu quàm multi hominum, condemnantur sine culpa
Damnatur iustus, liber eritq; nocens.
Quem gestas in ventre tuo noui, Benedicta,
Est iustus sapiens, omnipotensq; Deus.
Judicio tamen hic peruersorum, malefactor
Subditus *vt seruus*, verberibus *nimijs.*
Dicetur *mendax, verumtamen omnia vincet,*
Et dum victor erit, tinniet *omnis homo.*

ANAGRAMMA LXI.

Natus tuus cunctis in sibilum fiet, vnde vbi reducet, terrebit.

QVæq; Parens ornatos natos vellet habere
Quêis placeant cunctis, dotibus innumeris.
Ex hominum quis erat natis ornatior isto
Quem gestas vtero, Virgo Parensq; Dei.
Vt speciosus, & omni sic virtute decorus,
Jlli qui faueat, nec tamen vllus erit.
Namq; tuus natus *fuerit, dum in vincula raptus*
Fabula, sibilum & heu, fiet & ille iocus.
Vnde vbi *constrictos, summa virtute* reducet,
Multos terrebit, *morte suâ atq; cruce.*

ANAGRAMMA LXII.

Insidiabuntur ei bibuli, furtiuè nectent crucem, sed est tutus.

SÆpè domesticus est hostis, crudelior omni,
Qui tibi iunctior est, sæuior hostis erit
Fert grauiter sibi ab illo Psaltes insidiari,
Communi in mensa, qui sibi iunctus erat.
Non Psalti, verùm illa tuo Nato, euenient tunc
Cum tractabit opus, profluit vnde salus.
Insidiabuntur bibuli illi, *qui illius esca*
Tunc satiabuntur, corpore quiq; suo.
Hi quoq; pascentur furtiuè *de cruce* nectent
Hâc onerent vt eum, quam feret ille libens.
Sed *tuus* est *natus tutus tunc*, tutus & *ibit*,
Vt probra multa nimis, sustineatq; crucem

ANAGRAMMA LXIII.

Seruiens cunctis aditu fundetur, necem subibit liberè, vt tuti.

NIl mirum est, vnde in mundo mutatio tanta,
Ipse etenim mundus, semper erat varius.
Tempora mutantur, nos & mutamur in illis,
Qui nunc est Dominus, seruus eritq; breui.
Hoc mirum est, vt semper, qui immutabilis extat
Mutari potis est, nostra caro facit hoc.
Seruiet hic mundo, *Vt seruusq; necabitur ille*
Qui venit, vt seruum liberet, ipse Deus.
Vtq; tenebitur, hincq; aditu fundentur *in ipso*
Discipuli, captus quando Magister erit.
Tunc vbi passus erit, post multa, necemq; subibit
Liberè, *vt in* tuto *nostra sit, inde salus.*

ANAGRAMMA LXIV.

Tibi in ventre verbum sit, tunc tendet, Deus fiet crucis baiulus.

O Felix Mater, stupeant nunc lumina cæli
Cum videant Dominum, in ventre iacere tuo.
Verbum in ventre tibi, sed (parcas) dixero nobis
Sit Benedicta tibi, sit simul & miseris.
Sit tibi Mater vt est, hoc delicium pretiosum
Sit quoq; terrigenis, crimina quo redimant.
Istud enim tendet, completo tempore verbum
In cunas primo, protinus & ad ea
Quæ Pater iniunxit sibi, tunc gaude Benedicta.
Quando crucis fiet, baiulus ipse Deus.

ANAGRAMMA LXV.

Flentibus Matribus ducetur, vinctus reste, & inibi væ inducet.

QUi mentes hominum cæcas regit, & moderatur,
Ut videant rectum, rectificans homines.
Qui palmoq; suo, hunc spatiosum continet orbem,
Suauiter vt currant, ordine cuncta suo.
Hic vinctus reste, inducetur ad hunc & ad illum.
Hinc crudi mulctam, iudicis vt subeat.
Filius heu tuus, ô Virgo, mansuetus vt Agnus,
Ducetur nullo, compatiente sibi.
Illius in processu ad pænam flentibus ipsis
Matribus, vt cessent, præcipit à lachrymis.
Ast hæc cum deflent, crucis alto pondere pressum
Inducet super hos tunc ibi væ miserum.

ANAGRAMMA LXVI.

En crucifer deducetur, militibus stantibus, tutè venientibus.

QVisq; ducum in castris vexilla exponere sueuit
Ut veniant, quibus est, famaq;, Marsq; placens,
Non vexillifer, ast crucifer tuus hic erit vnctus,
Cum pro vexillo, tunc cruce onustus erit.

Qui crucifer cum montem en deducetur in altum,
Hastam vt figat, ibi castra locetq́, sua.
Hâc cruce tunc sursum erectâ hinc & stantibus *inde*
Militibus, *cunctos pellet, ad arma vocans.*
Promittens regnum, tutè venientibus *ad se,*
Vt qui victor erit, præmia multa ferat.

ANAGRAMMA LXVII.

Sed dum reijcietur canentibus tubis vt necetur, iusti flebunt.

NOn sic ingreditur dux vrbem, quisq́, triumphans
Stipatus seruis, & spolijs nimijs
Obuiat huic non sic populus clangorq́, tubarum
Eius in aduentu, dum sonat omne melos.
Vrbs vt erit Solimæ, magnis tua plena triumphis
Cernens ad mortem, suppliciumq́, trahi.
E cælis missum, heu dolor. Vrbe en reijcietur,
Js cuius vultus, delicium est superis.
Cum multo applausuq́, tubisq; canentibus *inde*
Ad montem vadet, mox moriturus ibi,
Cumq́, triumphant hi iusti flebunt *pereuntes*
Nempe quòd hi in vitijs, in cruce Christus obit.

ANAGRAMMA LXVIII.

Vt citabitur sub ritu, in vinculis sedebit, & nudus feret necem.

VT peccauit homo, subitò Deus huncce citauit
Dicens, causa quis est, nunc tibi mortis Adam?
Vt fuit opportuna Adæ illa citatio protunc
Sic & erit, quando iudicium veniet.
Jllius, est qui nunc in ventre tuo Benedicta
Æternus genitor, pessima quæq́, feret.
C*rudum hoc iudicium illi erit,* vtq; citabitur *illuc*
Js, qui sub ritu, *legeq́, semper erat;*

Tunc

Tunc multûm ponetur ibi, in vinclisq; sedebit
Tunc tuus ô Mater, ceu latro natus erit.
In cruce clauatus tunc, pendebit quoq; nudus,
Hæc erit illi mors, hanc feret *ille* necem.

ANAGRAMMA LXIX.

Tentus tunc ibit fidentiùs, i eleuabitur, in cruce sursum, debet.

N*On sic quisq; libens vadit, iucundè epulari*
Nec tam currit, vbi dulcia plectra canunt.
Vt tuus ô Virgo, ad cunctos curret cruciatus
Filius, huicq; omnis passio suauis erit.
Tentus *non renuet; sed* tunc fidentiùs ibit,
Quo magis apponent, verbera carnifices.
Tunc i, *ô Mater nimiùmq; dolens & amara*
I nusquam auditu vt, tunc fieri videas.
Cernes contusum, vtq; leuabitur in cruce sursum,
Filius ille est, qui debita cuncta luet.
O quæ iustitia est peccantûm debita multa
Is qui nil debet, *soluere debet ea.*

ANAGRAMMA LXX.

Vt fuerit in cruce situs, sibilabunt in eum, ridebunt, & tu cedes.

N*On sic pennatis, implentur bella sagittis,*
Dum fortunâ hostes, belligerant variâ.
Aut non sic nimbus validus, terram obruit vnquam
Omnia dum cursu, depopulat nimio.
Sidera blasphemis, quantùm verbisq; nefandis
Sudabunt, situs vt *filius iste tuus.*
In cruce, *tum fuerit, meta hic erit omnibus vna*
Quam verbis omnes, vt iaculis quatient.
Sibila *tunc* in eum mittent, *sputisq; onerabunt*
Ridebunt, & in hunc, vt fatuum iacient,

 Talia

Talia cum passus fuerit, tunc tu quoq; cedes
Longiùs vt patiens, plus mereatur ibi.

ANAGRAMMA LXXI.

Venditus emitur, sitibundus bibet fel cunctanter, reuiuiscet.

IN *mentem reuoces Iosephum Virgo Parensq;,*
Hic fratrum quantam, & quam tulit inuidiam
Vt non mactaretur ab his, tunc Ismaelitis
Venditur, vnde Patri cum lachrymisq; dolor.
Venditur vt Ioseph pretio, fuit hæcce figura
Eius, qui tibi nunc, à Patre missus adest.
Venditus *iste, emptus fiet, cum prensus ad aulam*
Pontificis summi, vt discrucietur ibi.
Delusus, cæsus, grauiter spoliatus honore
Post bibet *in cruce* fel, *dum* sitibundus *erit*
Cunctanter *bibet, vt nobis hic sit quoq; norma*
Eius ad exemplum, quatenus omnis homo
Viuat, cumq; reuiuiscet *vitæ & necis eius*
Sit memor hæc quod sint, omnia propter eum.

ANAGRAMMA LXXII.

Inimicis suis crudis benedicet, ne turbet vultu, & refutabunt,

Q*Vâ quis mensus erit mensurâ, illiq; vicissim*
Est mensurandum, nec decet hoc aliter.
Reddere cuiq; mala est peruersum, pro benefactis
Qui bona concessit, percipiatq; bona.
Lex fuit hæc veterum ast natus tuus hanc renouabit,
Peruersis mandans, reddere cuncta bona.
Hanc doctrinam & verbis, exemploq; suo tunc
Firmabit, pendens, atq; ibi multa docens.
Hinc crudisq; suis inimicis *tunc* benedicet
Ne turbet vultu, *multa precabitur hic;*

Cum

Cumq́; refutabunt, *maledicent pro benefactis,*
Interitus cunctos, atq́; ruina manet.

A N A G R A M M A LXXIII.

Ceu sitiens stridebit, durius acetum, & fel bibet, nunc vi ruunt.

QVàm magnus valor est animæ, hoc edicere nemo
Est potis, hoc pretium nullum aliud superat:
Quid pretiosius est animâ, quam condidit ille,
Qui cælum terram, condidit atq́; mare.
Hanc propter Deus, è cælo venit, vt patiatur,
Inq́; tuis oculis pessima quæq́; ferens
In cruce sublatus sitiet, cum durius extunc
Stridebit *populi perfidia Hebraici*
Tunc ibi clamando sitio, bibet *vt* fel *acetum*
Quêis sic gustatis, in Patris inde manus.
Commendans animam tremor vndiq́; tuncq́; ruunt vi
Et monumenta Patrum, saxaq́; scissa tonant.

A N A G R A M M A LXXIV.

Cum indulserit enecantibus, tunc sitiet vberiùs frui, vt debet.

CÆlum est ipse Dei sedes, & terra pedum eius
Scabellum, vnde Deus fulget, & est vbiq́;,
Ast Deus assumens carnem sibi, cumq́; homo fiet,
Non cælum sedes, illius ast humus est.
Ad tempus tamen, humanam hic operando salutem
Cunctorum, in terra tunc erit, vt medicus.
Cumq; indulserit *ille* necantibus, *emoriens hinc,*
Et terram linquet, victor ad astra vt eat.
Illius vt debet *cælum, tunc gloria fiet,*
Semper & ante, & post, vt fuit, ast magè tunc.
Hacq́; frui vberiùs sitiet, *tunc in cruce pendens,*
Clamando ad Patrem, voce sonante nimis.

ANAGRAMMA LXXV.

Tu nefandum scelus videbis, vir interibit, & victus, nec turbet.

HOc vates prædixit opus quandoque futurum,
Cum narrabitur hoc; nemo fidem dabit huic.
Quodnam opus illud erit, nisi quod per te modò fiet
Nata ex te soboles, hoc opus illud erit.
Vt Verbum fiet caro, inenarrabile factum,
Miraque sunt ista, ast illa stupenda magis
Quæ super & terra, & mare, cæli luxque stupebit,
Quando in carne Deus, multa pericla feret.
O scelus, ò quam triste nefas, mala tanta videre,
Quæ pia tum cernes, Virgo Parensque Dei.
Tuncque videbis, vt in cruce pendens, Vir morietur,
Et victus fiet mundus, & ille Sathan;
Qui miseros homines turbabat, tunc erit arctè
Victus, ne turbet, vincula dira feret.

ANAGRAMMA LXXVI.

Nunc vel vnicus tibi fiet, & subdetentus, miserè trucidabitur.

QVod rarum est carum, probat experientia testis
Cuique Parenti, quid cariùs esse potest
Natis; pignora quanta illis carissima sunt hæc,
Vnicus attamen his, hic magè carus erit.
Si tuus vnicus est, vel erit tibi, nunc modò natus,
Quàm tibi dilectus fiet, amorque merus,
Cum & maiore fouebitur à te, hic natus amore
Hic subdetentus, maior & angor erit.
Tunc gladio tibi mæroris cor transfodietur,
Dilectum vt cernes, morte perire tuum.
Inque tuis oculis, miserè vtque necabitur, ille,
Tunc tibi dulcis amor, ceu fel amarus erit.

ANAGRAMMA LXXVII.

Vbi virtus ruet, Deus latebit in cruce, ſuſtinebit necem, fidunt.

NEmo aptus regno, qui neſcit diſſimulare
Hæc virtus Regem, conſtituitq; Ducem.
Filius vt tuus opprobrijſq; grauabitur vltra,
Obiectis falſis, cuncta feret patiens.
Dum virtus ruet, & nullus ceſſabit iniquè
Surgere contra illum, diſſimulabit ea.
In cruce pendebit Deus, hic tamen vſq; latebit,
Donec teſtentur cuncta fuiſſe Deum.
Et velum templi, ſciſſæq; petræ, & monumenta,
Quando & in occaſu, morte ruentq; ſuâ.
Hancq; necem crudam, cum ſuſtentabit ibidem
Hunc multi, fidunt eſſe Deum & Dominum.

ANAGRAMMA LXXVIII.

De te aduenit Filius tuus, crucem eſt bibiturus, nec interibunt.

VT redimatur homo, in cælis ſententia lata
Per quem iſtud fieret, filius is Patris eſt.
Ad quod opus, tu Virgo Beata, illi famulata es,
Cum de te aduenit, hic cui hominem placuit
Saluare, & pretio magno ſeruare redemptum
Namq; homo ſaluari, non aliter poterat.
Si quæris, quod ſit pretium? hæc eſt paſſio Chriſti,
Sanguine profuſo, verbera multa nimis.
Filius ergo tuus, dum & quando crucem eſt bibiturus
Tu benedicta Parens, compatiendo una.
Suſcipe nos miſeros, ſæpe ad te confugientes,
Quos tu conſerua, Mater ab interitu.

ANAGRAMMA LXXIX.

Luminaribus niteſcentibus vincietur, debet, ducetur, it fetus.

Tollere mandauit quondam Deus ipse rebelles,
Pendere in facie solis, eosq; iubens.
Tam vindicta grauis decreta rebellibus illis
Sint, vt in exemplum hic, omnibus inde alijs.
Filius hic tuus, alma suspendetur in vrbe
Vt sit & exemplar, normaq; cuiq; homini.
Hac peragentur ibi, populo spectante frequenti
Soleq; lucente, & tum radiante die.
Hisq; stupentibus, & super aspicientibus astris
Funibus vt debet, carnificum manibus.
Vinctus tunc erit, & ducetur ad illa nefanda
Judicia, in quibus hic, audiet omne nefas.
Ad quæ vltrò descendens, tunc multùm it quoq; fetus
Fetus eo, quod sacra in cruce parturiet.

ANAGRAMMA LXXX.

Vt necabitur, tunc Cerberus subditus fiet, & inde multi in Iesu.

QVem gestas vtero Natum, illi nomen Iesus
Jucundum nomen, quo venit alma salus.
Nominis istius tanta in terra, & super astra
Virtus est, contra hanc, nil valet ipse Sathan.
Hanc magnam virtutē, hoc nomen contrahet inde,
Cum fuerit propter multa salutem hominum,
Js passus, tantum qui cælo nomen habebit,
Virgo Parens hic erit, Filius ille tuus.
Vtq; necabitur hic tunc orci Cerberus ipse
Subditus hinc fiet, Styxq; profunda tremet.
Tunc multi saluabunturq; in nomine Iesu,
Hinc in terram pax, & super astra fluet.

ANAGRAMMA LXXXI.

Nidus ei fiet in cruce, tuens tuebitur turbas, & lucebit mundis,

HOc nato moriente tuo, miracula fient
Scindenturq; petræ terra tremet mareq;, Jn

In cælum crescet, sonitusq́; edendo marinos,
Turbabit multos, obruet atq́; simul.
Tunc confundentur cælestia lumina, quando
Sol erit in tenebris, de super astra cadent.
Nec mirum fieri tenebras, tunc in cruce *pendens*
Lucebit mundus, *pellet & hinc tenebras.*
Quis non tutus ei nidus *tunc* in cruce fiet.
Hic namq́; anchora, nunc certa salutis erit.
Hic turbasq; tuens, *vincendo tuebitur omnes,*
Huc quisquis fugiet, iam modò tutus erit.

ANAGRAMMA LXXXII.

Ceu ensis iecur tuum transibit, vt filius tundetur, nec debebit.

VT Tibi natus erit genitus, multiq́; Prophetæ
Multa prophetabunt, quantus erit puer hic.
Quos inter Simeon vates tibi virgo Beata,
Cælitùs hæc dicet, quæ tibi post venient,
Prædicens animam gladio Tibi transfodiendam
Cum cernes natum, cuncta nefanda pati.
Aio tuum iecur, *ille dolor* transibit, vt ensis
Tundetur *nimiùm* filius, *vtq́; tuus.*
Ceu *gladij tot erunt, quot habebis, Virgo dolores,*
Vnus & isq́; alto, tunc magè acutus erit.
Nec quicquam debebit, verùm hæc perferet vltrò,
Vt genus humanum, morte suâ redimat.

ANAGRAMMA LXXXIII.

Mater sub cruce tunc eris, vbi filius nudè detentus, tutè inibit.

HAud homines sic, ad quæuis spectacula currunt,
Quando inuisa sibi, cernere concupiunt.
Istius vt quisquis sceleris spectator adesse
Concupiet, quando Virgo Beata tuus

Filius vrbe educetur, tunc confluet omnis
Plebs, vt inauditum contueatur opus.
Tunc super hoc facto, astra ipsa, & monumenta stupebunt,
Saxaq́; scindentur, terra, tremetq́; mare,
Ille crucem dum portabit, qui portat & orbem.
Hæc fient cunctis, mira stupenda nimis.
Tunc vbi filius extensusq́; erit in cruce, nudè
Tu nimiùm mærens, ſub cruce Mater eris.
Ast vbi tutè *hostes bellabit, ad ardua* inibit,
Gaudia tunc fient, mista dolore tibi.

ANAGRAMMA LXXXIV.

Dilectus ei, tibi aſsiſtet, dum fuerit in cruce, ne nutu rubebunt.

IN mærore suo socios habuisse dolorum,
Hoc solamen, & hæc lætitia est miseris.
In cruce dum fixus fuerit, tuus Alma Virago
Natus & hinc illi, maximus angor erit.
Cernens nullum esse in tantis cruciatibus, ex his
Secum qui pariter, tùm voluêre mori.
Sub cruce sola Parens tu eris, & dilectus *amicus*
Aſsiſtet tibi, *& hic, compatietur* ei.
O quantus dolor est, nimiùmq́; dolebit hic, & tu,
Spectantes vestrum, tanta pati Dominum.
Tunc scelerati, nec vultu, nutuq; rubebunt,
Immò gaudebunt, tantà patrâsse mala.

ANAGRAMMA LXXXV.

Enecandus dilectum ſubſtituet, tibi nunc, ibi verè fies turtur.

QVisq́; Patrum suescit moriens tunc linquere natis
Tutores, illis vt super inuigilent,
Per quos in tuto & bona sint, horumq́; iuuentus,
Vnde & tutores, nomen habere solent.

Morte

Morte enecandus *vbi ſiſtetur, hic in cruce natus*
Hic tuus & Dominus, ſummus & ipſe Parens.
Dilectum *quem adamauit viuens, hunc moriendo*
Tutorem faciet, ſubſtituetq; tibi.
Nato tu tamen & Domino ſpoliata Patreq;
Tunc excors eris, ob triſtitiam nimiam.
Verè ibi nunc fies turtur, *nato tibi paſſo,*
Quæ ſocio, nimium diſſociata gemit.

ANAGRAMMA LXXXVI.

Vt vbi manus tenderit filius tuus, tunc credentes iubebit ciere.

F*Ructificat non ſic ager ille ferax & opimus*
Solicita impinguat, quem manus agricolæ.
Vt Nati crux ſancta Tui, fructus dabit almos
De quibus ad vitam, ſe cibet omnis homo.
Quis fructus quæris, tunc nati intellige verba,
Omnia tracturum, dum in cruce fixus erit
Quis ſe promiſit; ſed fors promiſſio falſa eſt!
De ſummo tamen hoc, dicere velle Deo
Abſit, quin magnus fructus crucis inde ſequetur
Cum cunctis poſthac, crux erit illa ſalus.
Namq; manus *poſtquam* Natus Tuus *in cruce ſurſum*
Tenderit, *hinc ex nunc, affluet omne bonum.*
Vndiq; credentes tunc *ille* ciere iubebit,
Hoc mandans caris, diſcipulisq; ſuis.

ANAGRAMMA LXXXVII.

Deſcendentem è cruce flebunt, ſubintrabit virtus viuis, i, tuti.

V*Ictores ſemper Victoria quosq; ſuperbos*
Efficit, ex acie vt cum ſpolijs veniunt,
Quis victor ſpolijs nimiùm, & magè onuſtior illo
Vnquam erit, hoc nato, Virgo Beata, tuo.

Hic mundum, mortem, inferni prostrabit & hostes
Quos alius quisquam, vincere non potuit.
Hinc tamen haud tumidus, sed multum magnificus tunc
Unde illi tellus; astraq; io canent.
Illa oberunt nec, quod descendentem è cruce flebunt,
Viso illo occiso, & corpore tunc lacero.
Ex lacero ergo tunc victorem corpore nosce
Hinc in terra pax, hinc hominiq; salus.
Inde subintrabit virtus viuis, *monumentis*
Vt tunc abiectis, sint comites Domini.
Tunc i *Virgo Parens, victorem concomitare,*
Tunc lætare magis, tristior vt fueras.

A N A G R A M M A LXXXVIII.

Funus eius celebrabitur, tunc subinde munitus erit, it, & dicet.

N*Il magè post mortem infamat, fædatq; tyrannum,*
Quàm dum est indignus funere, cum lachrymis,
Vnum erit hoc quod te solabitur, Alma Virago,
His in tormentis, quèis tuus hic genitus
Discruciabitur, hoc te consolabitur inquam,
Quando eius funus tunc *nimiùm* celebre
Fiet, *tumq; sepulchrum erit, attestante Prophetâ*
Eius magnificum, quod decet hunc Dominum.
Hic vbi deponetur, erit munitus *& inde,*
It, *magis affectu, quàm pedibusq; suis.*
Euocet vsq; Patres, dicens portas aperite
Tuncq; chaos ruet, vt tartara victa gemant.

A N A G R A M M A LXXXIX

Is lustrabit infernum, & educetur vinctus, & tu videbis vinci.

H*Ostibus ex victis, Dux semper quisq; triumphat*
Qui quot captiuos, dona tot ampla refert.

Et tu

Ut victor mundi mortis maiore triumpho,
Undiq; clarescat, tunc aderunt homines,
Infernum *quando* lustrabit, *mortua surgent*
Corpora, quæ in tumulo iam latuere diu.
Educetur *&* *è limbo, quo* vinctus *erat tunc*
Ut triumphanti, iubila quisq; canet.
Et tu debebis *Phlegetontis bellua* vinci
Sæviat in populum, ne furor ille tuus.

ANAGRAMMA LXXXX.

Descendet in infernum, & liberabitur iustus, i vt victus cubet.

QUi *Matrem primam serpens seduxerat Euam,*
Huic pro delicto, pœna statuta fuit.
Illius vt mulier, iudex fieret quoq; mulcta
Huius vinciret, contereretq; caput.
Hæc mulier quæ sit, Te dicam Virgo Beata,
Serpentis caput est, sub pede namq; tuo.
Quando & in infernum descendet, *Filius, ergo*
Hic iam victor ouans i cubet, *vt Domina,*
Et Draco cum vinctus fuerit, tum liber abibit
Iustus *qui pro tunc, sederat in tenebris.*

ANAGRAMMA LXXXXI.

Vbi decedet vi, luctus fient, terra tremens, cui subibit nuntius.

O*Mnis homo peruersus, saxis durior ipsis*
Cuius cor durum est, ipso adamante magis
Frangitur hirci adamas, prout aiunt, sanguine tinctus,
Peruersi atqui cor, durius est hominis.
Quem valet haud hirci, ast non scindere sanguis Iesu,
Quid corde humano, durius esse potest.
Hincq; tuus natus desertum se in cruce dicet,
Hæc tormenta videns, perniciem esse malis.

Saxeus vt fietq́; homo, decedetq́; vbi *tunc* vi
Hic homo, qui Deus est, terra tremens, *& erit.*
Luctus fient *præ luctu, monumenta boabunt*
Jn nece scindentur, saxaq́; tunc Domini,
Quiq́; vt humabitur, hincq́; subibit nuntius ille
Qui lætum lætâ voce, celeusma canet.

ANAGRAMMA LXXXXII.

Ditabuntur cuncti, vlceribus eius, fiet benè mundis, restituet.

D*Jtior in mundo quisqis felicior ille*
Diuitijs mundi,, qui caret, ille miser.
Falluntur, populum qui dicunt, inde beatum,
Js populus felix, cum illius est, Dominus.
Ergo sit is felix, nemo sed ditior illo,
Quem ditat Christi passio, cruxq́; sua.
Eius ditabuntur *enim* cuncti vlceribus, *tunc*
Qui magis hæc prendet, ditior ille magis.
Jubileum tunc, & cunctis fiet benè mundis
Tunc fortunatus, tunc homo liber erit.
Jmmundo mundo bona Christus restituet *tunc*
Qui fuit immundus, sanguine mundus erit.

ANAGRAMMA LXXXXIII.

Tunc viuificabitur mundus, liber erit vinctus, en testes, debet.

A*D messem agricola, vt flauescere cernit aristas,*
Jnuigilat multùm, demetat vt segetes.
Cum dulces matura parat vindemia botros,
Peruigil ad fructus, excubat ille suos.
Multos messores expectat messis opima,
Quos si non habeas, damnificabis opus.
Maior & unde Deo messis, quàm quæ ex cruce crescet
Judæis, atq́; est gentibus, vnde salus.

Viuifi-

Viuificabitur *hinc* mundus, liber *quoq;* vinctus
Tunc erit, *vt pendens, in cruce mors fuerit.*
Hæc peragentur, vt en debet teſtes *adhibere*
Qui totum mundum, fructibus his ſatiant.

ANGARAMMA LXXXXIV.

Infernus ruet, & ij, nec ſidera lucebunt cum ſubdet, tutiùs ibit.

CHriſtus vita alijs, alijsq; ruina futurus
Namq; offendiculi, tunc erit ille lapis.
Ad lapidem quam multi offendent, heu dolor iſtum
Cum mortem, aut vitam, diſtribuet variè.
Dira nimis dum paſſus erit, nimiumq; nefanda
Vt pretioſam animam, reddideritq; Patri.
Tunc ruet infernus *ſurgent* & ij, *tenuit quos*
Cum Dominus pendens, in cruce victor erit.
Illucens ſibi, nec lucebunt ſidera *cæli;*
Namq; obfuſcabit, lumine cuncta ſuo.
Omnia cum *ſibi ſic* ſubdet, *tunc* tutiùs ibis,
Ampliùs vt iam mors, non dominetur ei.

ANAGRAMMA LXXXXV.

Reſurrecturus & fulminabit, vt inuictus, nec detinebit ſubditè.

IN bello quoties capitur Dux, prælia ceſſant
Mens pugnandi vltra, militibus nec erit.
Hic tuus vt natus, cum inimicis belligerabit,
In cruce viſus erit, victus ab hoſte ſuo.
Vnde occiſum, deponent mox in monumento,
Vt belliq; ducem, in vincula conijcient,
Fallentur ſed, namq; reſurrecturus *in aſtris,*
Contra hoſtes victos, fulmina magna dabit.
Tunc parebit vt inuictus. *mox victor & ille,*
Summi apparebit, Rex Dominusq; poli.

Quos limbo educet vinctos, non detinet vnquam
Subdite *erunt etenim pectora cara sibi.*

A N A G R A M M A LXXXXVI.

Rubicundus aſcendet, & cum vulneribus ibit, & fiet interitus.

DVlce ſolum Patriæ eſt, & ab hoc ſecedere culpa,
Deturpare illud, maior & illa foret.
Hæc nobis patria eſt cæli pulcherrima ſedes
Hanc hominum nemo, deſeruiſſe velit.
Chriſtus deſerit hanc, iterum rediturus ad illam,
Sanguine tinctus ad hanc, clarior vt redeat.
Hinc paſſus nimiùm, cælum aſcendet rubicundus
Ibit *& accinctus,* vulneribus *nimijs.*
Corpore dum feret hæc, pretioſis æmula gemmis
Angelicisq́; choris, inde ſtupendus erit.
Poſtquam aſcenderit in cælum mox interitus *tunc*
Fiet, *vt hinc multi, martyrium ſubeant.*

A N A G R A M M A LXXXXVII.

Dulcis fit vt carne veſtietur, vbi redibit, nec ſuſtinebunt eum.

ADuentum binum Chriſti cecinêre Prophetæ,
Non tamen vt prior hic, ille ſecundus erit.
Jn primo apparebit cunctis, vt puer ille
Hic ſuauis, nam quid ſuauiùs eſt puero.
Dulcis & ille bonus, fit maſsâ carnis amictus,
Jn carne hac, quis non ſentiet, eſſe bonum.
Non puer, aſt vir parebit, iudexq́; ſecundo,
Hicq́; priore bono, quàm magè terribilis.
Cum mundo hic vbi iudicia ad tractanda redibit,
Heu quàm nos ratio, ſtricta futura manet.
Hic erit aſpectu horribilis, nimiumq́; tremendus,
Ferreq́; non poterunt, qui aſpicient in eum.

ANA

Iudicabit virtutes in fine mundi, luceſcet vrbs, & ſub te erunt.

MAgnus erit tremor, vt ſoluetur machina mundi,
Jgnea tunc cælo, fulgura multa cadent,
Nunc cælo, tonitruq́; mari, nunc monſtra boabunt
Et lunæ & ſolis, ſqualida veſtis erit.
Tunc ſignum crucis apparebit, in æthere ſurſum,
Mundiq́; immundi, terminus hic aderit.
Judicet vt mundum, veniet tunc Filius Alti,
Quoduis iudicium, cui Pater ipſe dedit.
Tunc luceſcet in altis vrbs; celeberrima cæli,
Atq́; lucerna eius lucifer Agnus erit.
Filius is iudex cum ſit, Tu ſisq́; Patrona
Sub te quotquot erunt, fac pia ne pereant.

ANAGRAMMA XCIX.

Vbi iudicabitur benè mundus, cuncti triſtes erunt, & fiet lues.

OMne eſt iudicium graue, nullus adire tribunal
Abſq́; timore poteſt, ſit licet innocuus.
Si graue iudicium omne eſt, quid generale futurum,
Tunc vbi cum mundo, iudicium faciet
Jpſe Deus, nimis ô quam iudicium hoc metuendum,
Cuius ad auditum, contremit omnis homo.
Hic vbi mundus erit ſub iudice, tunc manifeſta
Corda hominum fient, quis, quid, vbi, quomodo
Fecit, & inde pauor, cuncti triſtes metuendo
Judicis & vultum, tum ſua quæq́; mala.
Jnde lues fiet cunctorum, extinctor & ignis
Omnia vaſtabit, mundus & alter erit.

ANAGRAMMA C.

Reddet cunctis refusè, vt merebunt, iuſti ſe iuncti iubilabunt.

NOn tantum merita in mundo, quàm gratia multùm
Et valet, & tribuit, conciliatq; bona
Fortuna in mundo, ſemper variabilis extat
Jlle eſt nunc Dominus, qui modo ſeruus erat.
Aſt modus in cælis alius, ſub Iudice ſummo
Qui magè plus meruit, præmia plura refert.
Jlle etenim Iudex tempus dum acceperit, extunc
Æquabit meritis, præmia quæq; ſuis.
Omnibus vtq; merebunt, reddet, hic inde refusè
Judicia eius, nam iuſta, bona, & pia ſunt,
Hic vbi erunt cuncti, tunc ſe iuncti quoq; iuſti,
Jnde coronandi, iubila magna dabunt.

Cantantes in ſæcula ſæculorum.

AMEN.